

quod largo foetu vineae redundaverint. Itaque et messem foeneratam recepimus, et liberalioris vindemiæ beneficia prossidemus. Postremus superest et maximus locus, utrum ea quæ vobis profuerint, imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait enim: Vos defendant, a nobis colantur. Hoc est, fidelissimi principes, quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare, et vobis non mandantibus, sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant praesidia sua: suos, si possunt, illa defendant. Nam si iis, a quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere, a quibus non coluntur? Sed majorum, inquit, servandus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus, tenero orbe, concreverat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore; nonne postea distincto coeli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit? Exutae humentibus tenebris novum terrae stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, et caloris exaestuat. Luna ipsa, qua propheeticis oraculis species ecclesiae figuratur; cum primum resurgens in menstruas reparatur aetates, tenebris nobis absconditur: paulatimque cornua sua complens, vel e regione solis absolvens, clari splendore fulgoris irutilat. Exerceri in fructus terrae ante nesciebant, post ubi imperare arvis sollicitus coepit agricola, et informe solum vestire vinetiis, sylvestres animos domesticis mollitae cultibus exuerunt. Anni ipsius aetas prima, quae nos usu parili coloravit nutu gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernal, postremis adolescit fructibus. Nos quoque aevi rudes, sensus habemus infantiam, sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus. Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principis, mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quam corporis; fideique